

D E D I C A T I O.

virtute partas deposuisset. Et apud Homerum
 ubique fermè Ulysses patriam suam laudibus ce-
 lebrat, de quo poëta scribit, quòd semper opta-
verit fimum de patrio posse videre foco. Plato
 nullam in terris majorem esse charitatem arbi-
 tratus est, quàm quæ cum patriâ est unicuique
 nostrum. Hæc, inquit, parens, hæc nutrix omni-
 um, hæc artibus, opibus, disciplinis instruit, di-
 gnitatibus ornat, omnia ad suorum civium com-
 modum & ornamenta refert; amat hæc & vult
 ipsa amari, tuetur suos nec vult negligi, paria à
 civibus exigit officia, quod cuique nostrum præ-
 stat, suo jure repetit. Vera hæc esse ipse experior.
 Etenim & me vicit amor patriæ, & me natale so-
 lum nescio quâ dulcedine ducit, nec finit me
 sui esse immemorem. Hujus rei profectò non
 defunt graves causæ. Quoties enim recòrdor
 (recordor autem sæpiùs) quæ & quanta benefi-
 cia è patriâ in me redundaverint, miris modis af-
 ficior, & ad gratitudinem quibuscunque ratio-
 nibus possum dēclarandum exstimulor. Apud
 vos, spectatissimi P. C. non solùm vitam nactus
 sum meam, verùm etiam in scholis & præcipuè
 in Principali illo Gymnasio, quod florentissi-
 mum semper apud vos extitit, de vitæ meæ ra-
 tione rectè ineundâ summâ semper cum dili-
 gentiâ & dexteritate institutus sum, præcepto-
 ribus viris præstantissimis & doctissimis D. M.
 Johanne Beuteferingio Rectore, D. M. Casparo
 Gualtero, D. M. Johanne Volckmaro, & D. M.
 Matthiâ